



Dissertatio juridica inauguralis de origine dominii

<https://hdl.handle.net/1874/289702>

//

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
ORIGINE DOMINI.

QUAM,

DUCE ET AUSPICE DEO T. O. M.

Ex Auctoritate Rectoris Magnifici,

JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiae, Physicæ Experi-
mentalis & Astronomiae Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus &
privilegiis ritè ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit.

HENRICUS SWELLENGREBEL, CIVIS TRAJECTINUS.

Ad diem 23. Junii, H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCCLV.

DISTRIBUTIO LIBRIS IN UNIVERSITATE
ORIGINIS DOMINI

JOANNIS DAVIDI HANI

HENRICUS SWETTENS CENSUS LIBRORUM

PRO CREDIDOCTORI UTRIS

ACADEMIAE TYPGRAPHIÆ MDCCLV

EX OFFICINA JOANNIS BROLELLI ET
ACADEMIAE TYPGRAPHIÆ MDCCLV

PATRIÆ,
PARENTIBUS,
CONSANGUINEIS
FAUTORIBUS
ATQUE
AMICIS

*Hanc dissertationem
inauguralem*

SACRAT
AUCTOR.

PATRIA
PARENTIBUS
CONSANGUINES
FATIGIBUS
AUGUSTAE
AMICIS

Hoc libelum
munitum est

SACRAT
AUGUSTOR



DISSE^TRAT^O JURIDICA
INAUGURALIS
DE
ORIGINE DOMINI.

§. I.

Ex quo tempore sapientissimus mundi Effecto & Artifex hominem creavit, ac orbi sublunari imposuit, eundem illi usum illorum, quibus natura ipsius carere nequit, concessisse, extra dubitationis est aleam. Ipsa sane ratio naturalis quemvis convincit, eum, qui alicui rei dedit existentiam, uti summus ille rerum Opifex initio omnibus solo suo potente jussu dedit, etiam voluisse, ut illa conservaretur. Cum igitur Deus artificiosam corporis humani compagem ita fluxam & caducam formavit, ut appareat, eam quotidie novis egere ciborum fulturis & continuo vestitu, quo a malis innumeris extrinsecus irruentibus protegatur, nihil profecto absurdius excogitari potest, quam quod Optimum Numen ho-

A mini

DISSE²TATIO JURIDICA

mini præstantissimo ex creaturis suis, quem ideo non uti cætera animalia in species diversas, variaque discrimina segregavit, sed unius generis, una etiam appellatione voluit continere, & insuper originem unam, similemque conformatiōnem dedit, quidquid eorum, quæ sustentationi vitæ inserviunt, & ad ejus perfectionem & commoditatem pertinent, denegaverit, præsertim cum vel a bestiis aut brevi tempestatum anni lapsu corrumpenda essent.

I I.

Quicunque ergo Divina mente & ratione cum mundum hunc universum, tum genus humanum fabricatum credit, exspectabit, in ipsa hominis natura & constitutione repertum iri indicia haud obscura, quæ monstrant, quænam res vitam ei beatam efficere possit: si enim qualitates rerum creatarum, quarum singulæ auctoris sui majestatem & sapientiam vindicant, examini subjicit, facile animadvertiset, quantas utilitates mortaliū genti præbeant. Quippe aliæ sunt, quæ ad expellendam famem ac sītū idoneæ corporis vires, animique vigorem restaurant: & aliæ, quæ membra tegere, & quibus illa injuriæ aëris opponi possunt: & aliæ iterum, quæ in innumeris aliis necessitatibus applicandæ sunt.

I I I.

Quum igitur inde non aliam conjecturam facere licet, quam Numinis supremi voluntate usumfructum rerum externarum, quibus ad se conservandum, statumque suum

suum perficiendum homo eget, eidem esse concessum, merito colligitur, animalia hinc non eximi. Nam cum nulla inter homines & bruta sit interposita juris communio, uti observat Cicero *lib. 3. de fin. bon. & mal. cap. 20.* neque jure naturali neque pactis, quorum incapaci sunt, homines ullo modo iis obligati sint, nulla inferatur injuria interfectione animalium ad parandos inde cibos, neque inique aut crudeliter, at potius prudenter & benigne agitur, ubi homines hanc Leonum, Ursum, Luporum, Canum aut Vulturum praedam, saevus peritoram, in usus suos intervertunt, cum mutorum animalium genera debiliora in fortiorum & fagaciorum cibum a natura destinata videntur. Et quamquam negari nequeat ex animalibus plura percipi commoda, & magnum ornamentum detrahi universo, si extirpare eadem promiscue licet, concedendum tamen, quod si utilitas, quae est in cæde animalium, præponderet, hominibus ab ea abstinere non licere, in primis cum corporis vires per assumptionem carnis augeri & restaurari aliquando possint. Adposite ad hanc rem scripsit Cicero *Lib. 1. de LL. cap. 8. ad hominum commoditates* *& usus, tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quæ gignuntur donato consulto nobis non fortuito nata videantur: nec solum ea, quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur: sed etiam pecudes, quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreat.* Status quoque naturalis inter homines & bruta, qui veluti status belli est, quippe saepè data occasione in homines irruant, haud raro eorum cædem necessariam reddit: nam si nulla occiderentur bruta, ea in tantum ac-

DISSERTATIO JURIDICA

crescentem numerum, ut inde exitum humani generis metuendum esset. Quare eleganter Clericus Phys. lib. 4. sect. 5. §. 5. inquit. *Cum bruta paucis post annis sint vel sponte interitura, & ita intereant, ut nihil ex iis superstet, nulla eorum in morte sit jactura. Crudelis est, qui alium sentientem spoliat eo, quo se spoliatum sentit, & dolere potest, non qui id corrumpit, quod corruptum nullum sensum habet: crudelis erga merito dicitur homo, qui hominem occidit, quia occiso homine supereft mens, quæ in statu esse potest, quo se vita spoliatum doleat; at bruta mortua nihil sentiunt amississe, quia simul earum anima dissolvitur, quomodo cunque hoc fiat. Crudelis est, qui naturam sentientem, aliisque utilem, dum est corpori conjuncta, a corpore avellit, qualis est homo societate cum aliis conjunctus. At crudelitatis insimulari non potest, qui animal occidit, quod aliis nisi occisum non prodest, imo vero noceret, si viveret. Certum enim est, nisi bruta ab hominibus occiderentur, tantam futurum eorum copiam, ut hominibus exitialis foret.*

I V.

Huic contemplationi naturali accedit auctoritas sacrarum litterarum, quæ expresse tradunt, homini indultam fuisse facultatem exhibendi res creatas ad usum suum. Præterquam enim, quod ex sacro C. constet, hominem eo consilio formatum fuisse, ut secundum imaginem Creatoris dominaretur in pisces maris, invlocres cœli, & in pecudes & in universam terram, & in omnia reptilia, reptantia supra terram. vid. Gen.

1: 26. his etiam allocutus suit verbis universi Formator: fætificate ac augescite ac implete terram, eamque subjicite, & dominamini in pisces maris, & in volucres cœli, & in omnes bestias reptantes super terram. ecce dedi vobis omnes herbas sementantes semen, quæ sint in superficie terræ, omnesque arbores, in quibus est fructus arboreus, sementantes semen vestræ ad comedendum erunt. alleg. cap. 1: 28, 29. ex quibus verbis manifestissimo in bruta potestas liquet. Et quamvis hic vegetabilium & sementantium, quantum ad comedendum attinet, tantum facta sit mentio, videntur ea tamen exempli causa solum memorata, nec propterea reliqua denegata. Quod multorum judicio primis hominibus cæde animalium interdictum, & ei tantum herbæ & fruges concessæ vid. Selden. de Jur. Nat. & Gent. Sec. Hebræ. Lib. 7. cap. 1. nonminus tamen Abelus sacrificium pecudis Deo optulit, & Deus post lapsum tunicas pelliceas paravit. ita & omnem scrupulum Creator sustulit, quum allocutus fit Noachum ejusque filios. Fætificate & augescite, ac implete terram, & timor vester, terrorque vestri in esto omnibus bestiis terræ, omnibus volucribus cœli, tum omnia quæ calcant humum, tum omnes pisces maris in manum vestram traditi sunt. Omne reptile, quod vivum est, vobis ad comedendum esto, ut viridem herbam illis, sic illa omnia dedi vobis. Gen. 9: 1. & seqq.

V.

Enimvero ut facultas illa in res humano generi concessa, & homo ita a Creatore suo in maxima rerum u-

tilium copia sit positus; si ad naturalem hominis statum, in quo unus præ altero præstantior dici nequit, respicitur, nulla ratione evinci potest, ut uni plus juris competit, quam alteri in animalibus & creaturis inanimatis, sed potius statuendum, res, ante occupationem in medio positas, non magis ad hunc quam illum pertinuisse, sed omnibus communiter, & sic in communione negativa (uti doctores vocant) fuisse; sufficiente quippe omnibus naturæ ubertate ad vitam suaviter & commode transigendam. Hinc Cicero *Lib. I. Off. cap. 7.* sunt enim privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, aut qui quondam in vacua venerunt, aut vittoria aut lege. Neque communio hæc primæva seu negatio dominii repugnat rei naturæ. Quo enim bonum in tanta rerum abundantia, & naturæ ubertate alios & paucos quidem exclusisse? hinc & Gentiles magno quoque concensu unum initio rerum cunctis quasi patrimonium fuisse tradiderunt. Virg. *Georg. vſ. 126.* Seneca *Octav. vſ. 403.* Ep. 90.

V I.

Et quo quæso! modo si natura res terræ in communione proprietatis, quando sc. dominium rei pluriſibus commune est, fuissent, singulis competenter facultas rebus terræ pro lubitu utendi? concursus enim socii, qui idem jus in illa re habebat, facultatem illam restringeret: Necessarius quoque foret concensus reliquorum, sine quo res occupari non posset. Et licet quis rem occupasset, de ea disponere non posset, reliquorum jure in occupata re semper salva manente, sequeretur & inde quod

INAUGURALIS.

7

quod pauperes cum divitibus communi dividendo age-re possent, & quod non darentur res nullius. Sed cum Deus omnia, quæ felicitatem hominis promovere, sive statum ejus conservare & vere perficere possunt, eidem concederet, & homo naturalibus facultatibus, quibus hæc occupare, & in usum suum convertere potest, a natura instructus sit, res ipsa testatur, etiam jus illi datum fuisse ad omnia occupanda, quibus statum suum conservare & promovere possit: Nam qui alicui suffici-entem occupandi omnia facultatem concedit, ipsi quo-que jus ad omnia concessisse censetur, quod nihil aliud eit, quam libera occupandi facultas jure alicui com-petens. Quod si ergo alius iisdem facultatibus instru-ctus alteri adjungatur, is idem jus habebit. Hoc modo communio quædam licet improprie admitti potest, ita ut omnibus hominibus non simul seu conjunctim unum idemque jus competierit, sed quod omnes homines si-gillatim vel unusquisque jus ita agendi in solidum ha-buerit. vid. Coccejus ad Grotium *Lib. 2. de Jur. bell,*
ac pac. cap. 2. §. 2.

V I I.

Dominium autem cum vario accipiatur sensu, nempe quod sit *potesias occupandi* & *possidendi* veluti Strauchius *de Imp. mar. cap. 1. §. 8.* judicat, aut *facultas non injusta utendire communi* prouti Grotius *Mar. Lib. 1. c. 5.* exi-stimat; mihi tamen non potius definiri posse videtur, quam quod sit *facultas alios ab usu rei alicujus exclu-dendi.* & quamvis Titius, *obser. ad Puffendorf. de Off. Hom. & Civ. Lib. v. cap. 12. obs. 282.* id aliter de-finiat

DISSERTATIO JURIDICA

finit, & per dominium intelligat *jus, quo res corporalis ad plenissimum usum est nostra*: eam tamen sententiam amplecti nequeo, cum, licet plenissimum jus disponendi de re apud aliquem sit, id tamen haud prius dominium dici mereatur, quam si simul alii homines existenterint, contra quos, ne in disponenda re jam ab aliquo acquisita impedimento essent, assertione juris peculiaris, quo ad alios non pertineat, opus est. Nec probare ausim dominium esse facultatem libere de re disponendi; cum notum ac promulgatum sit, pupillis, qui tamen rerum suarum sunt domini, non competere jus alienandi. Quum definitionem id duntaxat ingredi debeat, quod ad rei essentiam ita attinet, ut ab ea abesse nequeat; sublata vero facultate *alios rei usu excludendi* illico quis dominus esse definat: dubitari nequit, quin hæc facultas sola dominii definitionem absolvat. Conf. Heinecc. *Elem. jur. nat. Gent. lib. I. cap. 9. §. 231. not.*

VIII.

Sed ut ex allegatis locis sacri C. appareat, quemadmodum licentiam Deus homini indulserit rebus creatis in usum suum fruendi, non tamen inde dominium derivandum videtur, nec sequitur Adamum id consecutum fuisse, & jure hereditario ad posteros suos transmisisse, qui postea hereditatem paternam inter se dividerunt. vid. Kulp. *Colleg. Grot. lib. 2. cap. 2. §. 1.* Strauch. *de Imp. mar.* sane enim, quum natura domini in eo consistit, quod quisque re sua uti ac pro libertu de ea statuere possit. *I. 21. C. mand.* hoc nemo facere potest, nisi qui rem habeat in potestate; igitur nec

nec Adamus poterat habere dominium earum rerum, quas nunquam apprehenderat, imo ne notitia quidem sua complexus erat. Præterea vidimus Creatorem non in unius hominis favorem creasse tantam rerum molitionem, sed in usum totius generis humani; adeoque solus Adamus, qui ordine vivendi ab aliis saltem distat, sibi omnem facultatem arrogare & reliquos homines impeditre non potuit. & quoquo sensu dominium accipiamus, nihil obstare videtur, quo conceditur, tam amplum jus a supremo Creatore primis hominibus collatum, ut res quascunque sine restrictione sibi subjecere & usibus suis applicare licuerit, non ad solum Adamum, sed & totum genus humanum pertinuisse. ita potius hæc concessio Divina non verum dominium, sed jus & facultatem dominii introducendi præ se fert. vid. Heinecc. *prælect. in Grot. de Jur. Bell. ac pac. Lib. 2. cap. 2. §. 2.* Et si ad *dominium* proprie sic dictum, sive *actuale*, sive *singulare* aut *privatum* ac *definitum*, quale hodierno usu diverse dici solet, respiciatur, minime est consentaneum, quod illud cum ipsa facultate rebus utendi, statim sine ullo facto hominis immediate ei cesserit, cum illa concessio Divina sit donum, & id acceptancem, quæ ab hominibus facta occupatione, hoc est, apprehensione illarum rerum, quas usibus suis necessarias & commodas judicaverunt, desideret. Deus etiam ad futurum hominis factum respexisse videtur, cum Gen. I: 28, 29. dixerit: *subjicite vobis terram, dominium in pisces maris, & arbores, in quibus est fructus vestrae erunt.*

DISSERTATIO JURIDICA

I X.

Enimvero cum factum istiusmodi tale esse oportebat, cui tanta vis inesset, ut dominium privatum vel definitum singulis vel pluribus simul tribueret, necessarium non videtur, ut ullum pactum sive expressum, sive tacitum, quod alii postulant, adhibeatur. Quando enim quædam res alicui multitudini hominum, qui non eodem tempore sed successive existunt, & qui eam communiter habere nequeunt, vel nolunt, ut considerari debent homines ab omnibus temporibus & quibusunque locis, indefinite datæ sint, ex voluntate donatoris, qualis ratione bonorum terrestrium est Deus, is, qui primus venit, in illas res, quas sibi consequitur, acquirit jus particulare cum exclusione cæterorum. Tanta vis occupationi ex voluntate donatoris tributa intellegitur, ut quisque rem nullius occupando suam facere possit, modo non plus justo sumit, sed quod intra leges socialitatis subsistit. Itaque hic non opus est consensu reliquorum, quia ex voluntate donantis occupatio vim excludendi nasciscitur, ut recte philosophatur Titius in *Observ.* 278. num. 2. & plenius Lockius in *Gubern. civ. cap. 2. num. 4.* quod si enim ad singulare rerum dominium acquirendum singulorum hominum necessarius esset concensus, multis sane in maxima rerum abundantia saepius fame pereundum esset, priusquam ad scopum suum pervenerint. Egregie Barbeyrac. ad Puffend. Lib. 4. de jur. nat. § gent. cap. 4 §. 4. Dieu en donnant aux hommes la terre, § tout ce qu'elle contient, pour servir a leur subsistance § a leurs

com-

commoditez, a pretendu sans doute qu'ils fissent de ces choses l'usage le plus avantageux a la vie, & le plus conforme a la raison, qu'ils tiennent aussi de lui. Or personne ne pourroit tirer aucune utilite des fruits qui viennent d'eux memes & des bêtes qui sont nourries par le soins de la nature seule, s'il ne s'approprioit d'une maniere ou d'autre quelques-uns de ces fruits & de ces animaux. Si c'etoit un crime de prendre la moindre chose de ce qui est en commun, avant que d'avoir la dessus le consentement de tous les autres, qui y ont le même droit; on mourroit mille fois de faim au milieu de la plus grande abondance. Quand un père de familie fait servir quelque plat a ses Enfans ou a ses domestiques, il n'assigne pas a chacun sa portion, mais ce dont chacun se faisit honnêtement est a lui, quoi qu'au paravant il n'y eut pas plus de droit que les autres, & quoi que ceux-ci ne lui aient pas donné la permission de prendre tel ou tel morceau. D'ailleurs, chacun etant seul maître de sa personne & de ses actions; le travail de son corps & l'ouvrage de ses mains sont entierement & uniquement a lui, comme son bien propre & particulier. Ainsi tout, ce qu'il a tiré de l'état de nature, par sa peine, & par son industrie, tout ce qu'il a aquis par ses soins, appartient a lui seul; & les autres ne peuvent y rien pretendre, a moins qu'il ne reste pas suffisamment de pareilles choses, ou d'aussi bonnes, parmi celles qui sont en commun. Conf. Van der Meulen ad Grot Lib. 2. cap. 2. §. 1. pag. 56.

DISSERTATIO JURIDICA

X.

Quum vero Dominium ex eo tempore derivandum est, quo *rei velut substantia ad aliquem vel quosdam pertineat, nec eadem modo in solidum ad alios pertineat.* Puffend. *Jur. Nat. & Gent. Lib. 4. cap. 4.* non alio factio, nisi quod in occupatione & apprehensione rei nullius cum animo sibi habendi consistit, opus est. Sane cum nemini jus animusque sit, æquali jure secum gaudentes ab usu rei excludendi, facile patet, quod, simul ac quis rem cum animo sibi habendi arripuerit, & usibus suis adhibuerit, eadem res in communione negativa & nullius esse definat. uti recte observat Heinnecc. *Elem. jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 8. §. 236. in nota.* Quare & nemini is injuriam facit, qui alios excluderit ab usu rei, quam animo sibi habendi apprehendenterit & possederit. & sic apprehensio & possessio, cum animo sibi habendi conjuncta, factum illud proprie est, quo quis res, Divina benevolentia in communione negativa concessas, privato suo dominio subjicere potest. Unde & is acquirendi modus, uti Antiquissimus, merito ab Illustri Grotio appellatur Originarius. Etiam convenientissime non solum Gajus *Lib. 3. pr. ff. de acquir. rer. dom. & ex eo Justinianus §. 12. Instit. de rer. divis.* inquit: *quod nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.* Verum insuper Paulus *I. I. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss. tradidit: dominium rerum ex naturali possessione cœpisse ejusque rei vestigium manere in his, quæ mari, terra cœloque capiuntur; nam hæc protinus eorum fieri, qui primi possessio- mem eorum apprehenderint.*

X I.

Sed uti ex §. præced. vidimus acquisitionem dominii fieri per occupationem sive apprehensionem: quumque occupatio sit apprehensio possessionis rerum nullius; possessio vero detentio rei, cuius usu alios excludere statuimus, observari debet, quod ut occupatio effectum talem habeat, eam fieri oporteat animo & corpore simul. Nam quantum ad animum attinet: Quisque sane videt, quantopere necessarius is in occupatione sit. Actiones enim nullam æstimationem admittunt, nec humanæ dici possunt, nisi quum iis animus comitetur, & illæ a voluntate agentis procedant. Neque animus ejus, qui occupare velit ad acquirendum dominium rei, quam animo concepit, sufficit, sed necessario corporalis apprehensio & sic rei possessio accedere debet. Et quamvis casus adferri possunt, quibus illa confessim opus non sit, sed requiritur ut *medium, voluntatem acquisituri aliis indicandum*: Nempe si qui rem, quam alius suis privative usibus destinaverat, sibi subjecere possunt, huic juri suo renuncient, atque consentiant, ut acquisitus, qui voluntatem alio actu æque habili declarat, rei istius proprietatem sibi soli acquirat. Vid. Illustr. Grotius *de jur. bell. ac pac. Lib. 2. cap. 8. §. 2.* & Titius *ad Puffend. de off. hom. & civ. obs. 292.* recte tamen ab aliis regeritur, consensum istum in voluntatem alterius dominium operari non posse, quum cæteris non rogatis aut non consentientibus nequam obsit: neque ullum nisi adversus renunciantes effectum habeat. vid. Carmichael *Observ. ad Puffend.*

de off. hom. & Civ. Lib. I. cap. 12. num. 6. At quænam præcise corporalis illa occupatio esse debeat, & quonam modo perficienda sit, non determinari potest, cum fundamentum necessitatis istius in eo saltem constitut, quod adhibetur signum, ad probandum habile, quo appareat, rem non communi amplius usui expositam, sed alicujus in proprietatem redactam esse.

XII.

Nimirum quum Deus in productione hujus universi non solum auctor omnium rerum fuerit, sed & finis, cuius fruendi causâ hoc mundi systema ordinavit, liquido patet, eum quoque voluisse, ut ea, quæ ad hunc finem obtainendum media idonea sint, sollicite adhibeantur. Hinc sponte sua sequitur, quod homines actiones suas ita instituere debeant, ut tum fini, ad quem Creator respexit, nempe gloriæ. suæ manifestationem, tum felicitati ac perfectioni rerum creatarum, præcipue hominum, eæ respondeant. Quare cum experientia testetur, non omnia omnibus semper sufficere, homo eantum, quæ extra se posita & neccum ab aliis occupata sunt, petere debet. Et ideo earum dominus censetur, quoniam si alius quisquam, qui suo se labore sustentare possit, res ita occupatas illi arriperet, ipsius spes & conatus redderet irritos, ab omni humanitate recederet, societatem hominum rumperet, & perpetuis daret rixis & contentionibus occasionem. Quaratione omnis occupantium labor irritus fieri, & quisque ab omni usu rerum excludi possit, nisi se continuis bellis defendereret. Quod enim huic eripienti jus sit, alii cui-

vis

vis idem competit in simili causa. Imo omni humanitati adversatur & iniquitatis proprius videtur, aliorum innocuos labores, inchoatos, nec dum intermissos impedit, & eorum fructus, quos laboribus suis sperant, præmatura nostra occupatione antevertere. Igitur nemini jus est in res ab alio occupatas, quamdiu is sibi eas habere ostenderit, quod per continuam detentionem manifestum redditur, & non prius cedit, nisi dominus animo easdem non amplius in rerum suarum numero habendi, abjecerit, vel dereliquerit.

XIIII.

Jam facile quidem patet, quam utilis fuerit dominii introductio. Quum enim pecus curam & agri culturam requirant, unus pro altero labores, nisi ipsi proprius esset rerum suo labore partarum usus, impendere noluit, & ut fructus laborum haberet certos, terram occupando & colendo, quo ad ejus necesse, suam facere, aliosque ab ea excludere debuit. Aucto magis magisque genere humano, ita ut in innumeris familias distractum, & per universum terrarum orbem dispersum, omnes terras, insulas, provincias, quin & loca parum fertilia occuparet, major indigentia vel vera vel præsumpta secuta est. Hinc paratissima rixarum atque bellorum causa, si duo pluresque eadem re indigentes, eandem singuli sibi trahere vellent, cum plurimarum rerum ea sit indeoles, ut uno tempore non nisi uni infervire possint. Nam insitæ sunt cuique solertiæ quædam & vires ad res aliquas occupandas idoneæ: & arctiores animi affectus benigni, una cum philautia quemque incitant ad

res

DISSERTATIO JURIDICA

res sibi & suis necessarias acquirendas & occupandas. Præterea homines, voluptatis cupidine impulsi, a simplicitate primæva paulatim descissi, & non contenti pellibus ad expellendum frigus, velandamque nuditatem, & tentoriis pro tecto, terraque pro cubili, sed auro, argentoque fulgere, in splendidis palatiis habitate, & lectulis incubare dulce putaverunt. Huic accessit avaritia, dum enim semel homines res tanquam suas vindicare cœperant, res accepere pretium; & deinde secutum generosius istud vitium (uti eleganter Illust. Grotius vocat) ambitio, quæ concordiam ac deinde omnem communionem rupit. Igitur *pacis humanae interfuit statim cum multiplicatis hominibus dominium rerum mobilium, præsertim quæ labore & cultu hominum indigent, & inter immobiles illarum quæ immediate usum hominibus præbent, uti sunt domus, introduci.* Puffend. *jur. nat. & gent. Lib. 4. cap. 4. §. 6.*

X I V.

Si vero antiquissimum & fidissimum omnium historiorum Mosen consulamus, communio ista primæva non diu duravit & magis ex defectu hominum, quam ob commodum aliquod communionis stetit. Apparet enim, quam mature proprietas post orbem conditum in res creatas injecta fuerit. Quum enim Adamus brevissimo a creatione sua tempore fame ac siti non initiari non potuit, decerpendo ab arboribus fructus, quas facta occupatione in potestatem suam redegit, earum dominus factus est. Historia quoque primorum fratrum, quorum

rum alter agrum frumento, alter pascuum sibi vindicavit dominii primordia satis ample ostendit. Nec dici potest, quod terra Nodi, posteaquam Kainus in ea confederit, & ædificare in eadem civitatem studuerit, alterius quam illius jure subjecta fuerit. Et ii, qui vel expellibus animalium sibi vestimenta aut ex alia materia aptaverunt, vel ex ligno aut lapide sibi casas conseruent ad commodam habitationem, ipsi sibi earum rerum dominium acquisiverunt, & alios nisi sua voluntate ad eas admittere obligati non fuerunt. Quamvis Juris naturæ interpretes ab initio communionem tantum quæsiverint, & naturâ res omnes negative fuisse, afferuerint, non tamen inde fluit, quasi jus naturæ præcipiat istum statum rerum perpetuo conservare, sed quod res consideratæ ante illum antegressum factum hominis tales fuerint, ut non magis ad hunc quam ad illum pertinarent. Porro omnes res non uno momento sub potestatem iverunt, sed pro ut indoles hominum, rerum, locique requirerent, & prout commodissime litium materia videretur intercipienda. Conf. Puffend. lib. 4. de jur. nat. & gent. cap. 4. §. 13.

X V.

Sic, quum toti humano generi imperium in universam terram competeteret, idque jus auctis hominibus, quibus una potestas non sufficiebat, in singulos populos translatum esset, quæque civitas sibi territorium quoddam occupare cœpit, ita ut quicquid intra territorii istius fines contineretur, occupatum censeretur, licet inter singulos distributum nondum esset. Cum enim res

C

nul-

DISSERTATIO JURIDICA

nullius, quarum usu alios excludendi nemini jus est; primo occupanti cedant, ipsum territorium, quod ante nullius erat, ex regula naturae cedit occupanti cum omni jure quod ei competit. Cumque qui totum occupavit, singulas quoque partes occupasse censetur, proximo alveo fluit, in tractu terrae, a populo per universitatem occupato, omnia, quae illius ambitu continentur, si a singulis nondum occupatae sint, ad populum universum pertinere, nihilque omnino tunc nullius dici posse. Nec alio jure usi fuerunt antiquissimi terrarum incolae, quamdiu segreges patres familias orbem incoluerunt & postea non tantum a Iudeis in terra Canaan, sed a Gentibus Germanicis seculo v. & vi. regna & integræ provinciæ per universitatem ita sunt occupatae, ut omnes res mobiles in singulos dominos haud descriptæ & distributæ, non imperio tantum, sed & quasi dominio civitatis essent. vid. Procop. i. Hist. Goth. Theodorici ii. f 56. & Bodinus ii. de rep. 2. sane uti haud perperam hoc sensu Virgilius Georg. Lib. i. §. 125. tempus fuisse tradit, quo

— — nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.

Sic Scytas & Getas laudat Horatius Lib. 3. carm. 24.

Campestres melius Scytæ,
Quorum plaustra vagas rite trabunt domos,
Vivunt & rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas

Fru-

INAUGURALIS.

19

Fruges & Cererem ferunt.

Nec cultura placet longior annua.

Defunetumque laboribus

Aequali recreat sorte vicarius.

X V I.

Hæc vero communio, quæ inter homines, æquitatis studiosos, & a vehementiori animi perturbatione liberos, locum habere posset, quales fuisse dicuntur, qui

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebant.

Non diu observari potuit inter tales, quales fert nostra ætas, & præteritæ tulerunt ætates. Si enim felicitas humana tanta esset, ut quisque proximum eodem secum jure frui permitteret, & alteri faceret, quod sibi fieri vellet, nullo singulari opus fuisset dominio, vi cuius quis rei proprietatem sibi soli acquirere, aliosque ejus usu excludere posset, cum in eo casu sufficeret omnia sociorum communia esse. Verum nullo modo fingi potest, ut in multitudine aliqua hominum singulita sint comparati, ut utilitati alterius ac suæ inserviant. Homo enim natura sagax, futurique providus non solum in præsentem sui aut suorum usum recte res occupat, verum & in futurum, ubi alii gravi non premantur necessitate. Quumque res plurimæ, ut hominum usui uberioris & diutius inserviant longa egeant & laboriosa cultura, ipsis perpetuus earum usus permittendus fuit sive dominium perpetuum, laboris & soler-

DISSERTATIO JURIDICA

tiæ naturale & justum pretium. Unde evenire haud potuit, quin deinde utile magis videretur, ut in partes quod populi commune est territorium distingueretur, & singulis, quod acquisiverint, aut per fundos occupaverint, cederet, & porro illis proprium censeretur. Ex his patet, fallere eos, qui meum & tuum omnium bellorum causas dicunt: cum potius ad evitanda bella, finiendasque contentiones id remedium valde idoneum statui debeat. Hinc Plato de legibus *Lib. 8.* lapidem terminalem vocat *lapidem jure jurando a Diis firmatum, quo amicitiae & inimicitiae terminentur.*

X V I I.

Enimvero quam varie isthoc ordine res alicujus esse cœperint, multæ tamen adhuc extant, quæ vel non occupari, vel quarum æquitas vetat ut quis privatum sibi dominium arroget, aliosque earum usu excludat, vel occupari quidem possunt, sed usum inexhaustum ac innoxium continent, & quibusvis sufficiunt. Sic apud Ovidium *Metam. vi. §. 349.* ita Latona

Usus communis aquarum
Nec solem proprium natura nec aëra fecit.
Nec tenues undas: ad publica munera veni.


& imperator Justinianus *§. 1. inst. de rer. divis. &c.* *Naturali jure communiasunt omnium hæc: aér, aqua profluens, & mare & per hoc littora maris.* Eodemque sensu Jcti res publicas vocarunt, & parili potestate acceperunt. Vid. Noodt *prob. jur. civ. Lib. I. Cap. 8.*

vii. Et, si varias res terræ persequamur, multas inveniemus, quæ nunquam alicujus dominio subjectæ fuerunt, aut fuisse non censentur, veluti fera animalia, in libertate naturali vagantia, & res, quas ut inutiles, nemo sibi subjicere gestit. Unde quoque, quousque, & in quibus partibus mare accupari, ac dominii jure acquiri possit, acerrime inter Viros Doctissimos disputatum fuit, quam quæstionem, quamvis latissimus hac de re differendi pateat campus, institutum nostrum attingere non patitur. Idcirco vela contrahemus, & feliciter portum nocti addemus cum verbis Horatii epist.

Lib. 1. ep. 6.

*Vive: vale, si quid novisti rectius istis;
Candidus imperti: si non, bis utere mecum.*

FINE M.



C,

THE

TRAJECTORIENIUM
Ex Officina IOANNIS BROEVELLI,
AC FRANCII PEGORARII. MDCLV.

T H E S U S.

I.

Jus naturæ a jure gentium nec principio cognoscendi, nec ipsius regulis, sed solo objecto differt.

II.

Dominium in Oceani magni partem acquisitum, veri quidem nominis dominium, sed tantum temporarium est.

III.

Avus vel Avia & Germanus defuncti frater eodem modo simul ad hereditatem admittuntur.

IV.

Minores inviti Rom. Jure non accipiunt Curatores.

THE

C